Etsi nulla carminum interpretatio, nedum poetica, hoc posse consequi videtur, ut fideliter integram poetae mentem referat, sed, salva utriusque linguae indole, illius vestigia admodum presse sequi satis habeat: tamen illud scriptorum diverso sermone exaequandorum studium ingenia ingeniis admovet, linguarum discrimina diversis utrimque supplementis sarcit, disparia sententiarum pondera disparibus momentis expendit. Quodsi in interpretandis Sophoclis fabulis eo minus sperare licet tanti poetae veram imaginem posse Latinis versibus exprimi, quo plura sunt discrimina linguarum et interpretandi impedimenta in vocum terminationibus et signuificationibus atque sententiarum figuris dissimilibus posita: tamen a communium studiorum genere non alienum esse duxi, experiri, quoad, in tantis hominum criticorum dissensionibus, metrorum praesertim incertorum difficultates liceret vincere. Itaque praeclara illa chori carmina Latinis versibus reddere placuit, ut, si qui facilius Latina intelligerent, quam Graeca, Latinis legendis incitarentur, ut ad Graeca animum applicarent, haud aliter ac si quis, qui ex effigie tantum personam nosset, hanc ipsam tandem cognoscere concupisceret. Propter incredibilem vero metrorum discrepantiam in chori cantilenis apud diversos editores conspicuam non potui, quin unum modo ducem sequerer, ne aut Graeca oratio, cui locus non sufficeret, typis simul exprimenda esset, aut lectores ad diversos editores, quos non omnes ad manum haberent, ablegandi essent. Schneidewinum propter nimiam singulorum quorumdam versuum longitudinem, et aliis de caussis sequi non visum est. Hermannum vero ducem delegi, quem in plerisque recte poteram sequi et paucis defore confidebam. Metra non adscripsi, quia Wunderi delineationes metricas in multorum manibus esse credebam, et quia qui Schnei-

dewini exemplo uterentur, saltem prosodicas metrorum descriptiones sequi possent. Qualiacumque sunt autem, quae scripsi, hoc certe agendum putavi, ut salvo sensu metra praeter diverbia jambica, in quorum usu major libertas esset, ubique accurate tenerem. Neque magis a Sophoclis sententia usquam recessi, quam loci ratio aut linguae natura sive posceret, sive concederet. His actis laetabor, si quid vel voluptatis vel utilitatis hoc studiorum genus lectoribus attulerit.

SOPHOCLIS
OEDIPUS IN COLONO.

Personae.

Oedipus, caecus exsul, Thebarum quondam rex,
Antigona, ejus filia et dux,
Ismene, ejusdem filia,
Polynices, filius ejusdem, et Adrasti Argivorum principis gener,
Creon, Oedipi levir et postmodo Thebarum rex,
Theseus, Atticae rex,
Coloni incola (*Ξένος*).
Nuncius.
Chorus senum Coloneorum (*Κολωνέων*).

Scena est in Coloni luco Eumenidum et in ejus vicinia.

Colonus, nomen proprie appellativum (*κολωνός* i. e. collis) deinde proprium 1) loci in ipsa Athenarum urbe, qui *ἀγοραῖος* cognominatur, et 2) alterius Athenis propinqui, qui ipse natura collis fuit cum luco Eumenidum, continens etiam *βωμὸν Ἀθηνᾶς Ἱππείας* et *Ποσειδῶνος Ἱππείου* hujusque *ναὸν* et, quo distingueretur a priore, *Κολωνὸς Ἵππιος* vel *τῶν ἱππέων* in Dei honorem dictus est (cf. Pausan. 1, 30 extr.) idemque *δῆμος* Atticus (Antiochidis? cf. Grotefend de Demis Atticae p. 27.) apud Ciceronem vero (Fin. V, 1 extr.) locus Coloneus dicitur (i. e. ut videtur *Κολώνειος*) quod adjectivum Graecis inusitatum M. Tullius *ἀναλόγως* conformavit. Titulus autem tragoediae Sophocleae est *Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ*, ut qui non gentilis sive in Colono vel natus sit, vel habitaverit, sed illuc supplex venisse dicatur. Eadem vero tragoedia tam bene de Colono meritus dicitur et poetae tragici laude ita nobilitatus est, ut, quum ibidem etiam sepultus esset, ad Colonum pertinere Ciceroni videri et novo nomine Colonēus (*Κολώνειος*) dici, aut etiam Colo-

nĕorum (*Κολωνέων*) gentilitate dignissimus judicari et haud secus ac Sophocles, qui natione Coloneus (*Κολωνεύς*) fuit, hujus gentilis quarto fere saeculo post ab oratore Romano memorari posset. Neque enim erat, cur Latine non Oedipus in Colono diceretur (cf. Cic. Epp. ad. Att. VII, 3, 7.) nisi fabulae inscribendae alia ratione duceretur Cicero, ac Sophocles. Ceterum *Κολωνεῖς* recte potuerunt nominari Coloni incolae, quum etiam complurium nominum loci propriorum in *ος* desinentium gentilia in *εύς* pariter atque nominum appellativorum adjectiva terminentur. vid. Matthiae Gramm. Gr. maj. §. 103. III. Buttmanni Lexilog 2. II. 96. Adde Eustathium ad Homer. Il. *β*. 575 et 855. Steph. Byz. in *Ἅλος*, *Ἄβαρνος*, *Κάμιρος*, *Τέλμεσσος* e. a. Haec autem terminatio potissimum in Lycia usu venit (*χαίρουσι γὰρ οἱ Λύκωι τῷ τύπῳ* cf. Steph. B. in *Βουβών*.)

ARGUMENTUM.

Oedipus et Antigona.

(Vv. 1—32.)

Veniunt in locum Athenis propinquum, qui quis sit interroganti patri filia nescit dicere, esse tamen locum habitabilem respondet (28).

Accedit ad eos *Ξένος* (*Κολωνεύς*).

(Vv. 33—80.)

Ab hoc jussi loco cedere audiunt esse hic lucum Eumenidum sacrum et in tutela Neptuni (*Ποσειδῶνος ἱππότου*) et Promethei Titanis igniferi, incolas autem et vicinos *Κολωνὸν ἱππότην* Colonum Equestrem ducem colere, regnare vero istic Theseum. Oedipo in hoc asylo manere cupiente et regis auxilium invocante Coloneus ille primum non Athenas abit, sed ad *δημότας* suos consulendos.

Oedipus et Antigona.

(Vv. 81—116.)

Jam Oedipus filiae dicit hoc loco se velle fatalem opperiri vitae exitum, qui, si fides sit oraculo, sibi terrae motu et tonitru caeli ac fulmine portendatur. Supervenientibus loci incolis secedit cum fiilia a qua se in luco jubet occuli. Mox veniunt acciti senes Colonei, quorum chorus canticum canit strophicum atque cum Oedipo et Antigona sermonem conserit inde a v. 117 usque ad 254.

CANTICUM I.

Stropha 1.

Chorus. En, En!
Quis fuit? ubinam est?
Quove pedem tulit excitatus istinc
120 Protervissimus omnium?

Indaga, dispice,
Cunctis quaerens locis!
Viator
Vagus nescio quis senex
125 Externus; neque enim miser
Iret in nemus avium
Virginum violentium,
Quas fugimus loqui
Luminibusque praeterire
130 Apertis, sine vocibus,
Quicquid pectore volvimus,
Hiamus; sed adesse dicunt
Nihilum verentem;
At ego spectans nequeo toto
135 Spicere in nemore,
Ubinam mihi sit peregrinus.

Systema.

Oedipus. Ille ego sum; voce etenim video
Hominis sonitum.
Chorus. Io, io!
Terret sonitu, terret facie!
140 *Oedipus.* Ne credite me laedere leges.
Chorus. Jupiter ultor, quisnam iste senex?
Oedipus. Ego non nimium felix dicar
Vobis, hujus agri custodes.
Clarum est; etenim non alienis
145 Oculis irem
Et magnus parva rogarem.

Antistropha 1.

Chorus. Hei, hei!
Vacuis oculis
Natus es, o miser, et tuum per aevum
150 Tu jam fata diu trahis?
Sed, si quid das mihi,
Diras non auxeris.
Venis jam,
Venis; at tibi tu cave,

155 Istas in virides eas
Convalles, ubi dulcium
Miscentur latices aquae
Flumine mellium;
Hoc, miser hospes, hoc caveto;
160 Proficiscere; multa te
A nobis via distinet,
An audis, miser o viator?
Tibi si placebit
Mihi respondere, relinque adytum;
165 Ubi cuique licet,
Hic fare, ast ante vetaris.

Systema.

1) *Oedipus.* Filia, quo quis curarum venerit?
Antigona. Eadem curare decet cives,
Modo cedentes, modo parentes.
170 *Oedipus.* Me tange, obsecro,
Antigona. Te jam tango.
Oedipus. Peregrini, ne mihi vis fiat,
Tibi qui venio confisus.

Stropha 2.

Chorus. Neque vero te, nisi vis, quisquam
Aget ex his sedibus umquam
175 *Oedipus.* Ibo?
Chorus. dubitare noli.
Oedipus. Adhuc?
Chorus. age, quaeso, virgo,
Porro; bene enim vides.
Antigona. Sequere jam, sequere huc ducem me
Caeco pede, mi parens.
180 *Oedipus.* . . . . . .
Antigona. . . . . . .
Oedipus. . . . . . .
Chorus. Tentes, hospes, in hospitum
185 Terra, quae sibi civitas
Odio habeat, odio insequi,
Quae colat, haec vereri.

Systema.

Oedipus. Age me, mea dux,
Ubi more pio sacra servantes
190 Audire possimusque loqui
Et turbemus nihil usum.

Antistropha 2.

Chorus. Satis est: extra oppositum saxum
Pedibus consistere noli.
Oedipus. Num sic?
Chorus. satis est, ut audis.
195 Stabo?
Chorus. pedibus reflexis
Saxo brevis inside.
Antigona. Pater, id-obsecro-tu mihi da,
Pedem pede copula.
Oedipus. Hei, hei, mihi!
200 *Antigona.* Gravia membra senis mihi
Amicam dabis in manum.
Oedipus. O sortem miserandam! —
Chorus. Infelix, quoniam mihi
Pares, quis es? — mihi cedo! —
205 Quid et adeo ageris? audiam,
Qua patria satus sis?

Stropha 3.

Oedipus. Hospites,
Vagus vagor; at tamen —,
Chorus. 1) Quid adeo negas, senex?
Oedipus. ne, — precor —,
210 Quaesieris, quis sim,
Noscereque ulterius omitte.

Mixta secundum schema.

Chorus. 3) Quid ita?
Oedipus. O quod genus!
Chorus. Narra!
Oedipus. Filia, vae, quid profitebor?

	Schema.			
10.	1.	3.	2.	13.
11.	4.	9.	5.	14.
12.	6.	8.	7.	15.

Chorus. 4) Patre quo natus es, o
215 Peregrine? eloquere.

Stropha 4.

Hei mihi, quid, mea nata, patiar?
Antigona. Age dic, quod ad ultima prodis.

Antistropha 4.

Oedipus. Dicam, etenim careo refugio.
Chorus. Propera; neque perge morari

Stropha 5.

220 *Oedipus.* Laïadesne quis?
Chorus. 6) o! 2) io, io!
Oedipus. Cedo, Labdacidum genus?
Chorus. 8) Ehen!

Antistropha 5.

Oedipus. An miser Oedipodes?
Chorus. 9) Is es enim?
Oedipus. Nihil haec mea dicta timete!

Stropha 6.

Chorus. 10) Io! 11) o, o! 12) o miser! 13) o! o!
225 *Oedipus.* Mea nata, quid illico fiet?

Antistropha 6.

Chorus. Ex hac ora cedite porro!
Oedipus. Ita solvere vota laboras?

Systema.

Chorus. Non ferit umquam hominem, quia propulit
Vim bene, poena Dei — dolus excipit
230 Saepe dolum, neque gaudia gignere,
Sed solet exagitare laboribus.
Ergo age linque meam patriam cito,
Rursus in exsilium proficiscere,
Neve piacula
235 Urbi velis parare.

Antistropha 3.

Antigona. Hospites,

O flexanimi, patrem
Ubi rejicitis male habilem senem,
Rebus, ut audistis,
240 Alieno vitio peractis; —

Systema.

Ergo mei miserae miserescite,
Suppliciter déprecor,
Quae solo pro patre meo precor,
Et precor aspiciens tua lumina
245 Non caecis oculis, sata eodem
Sanguine, quo vos. O miserescite,
Quaeso, patris miseri; ceu numine
Nos miseri vobis confidimus.
O date, quae vix reor,
250 Per tibi quaeque precor carissima,
Rem subolemque torumque et numen;
Non videas hominem ullibi . . ., ,
Qui moderamina
Dei queat cavere.

Ann. Vss. 117. ed. H. ὅρα — ἐκφυγεῖν δύναιτο. Vs. ὅρα cum versu sq. jungit S. Idem conjungit nunc vv. 176 et sq. in unum οὗτοι — ἄξει. H. et W. exhibent dimetrum anapaesticum priorem, posteriorem catal. 179 et 80 W. nectit, H. et S. dividunt, hic ἀμαυρῷ vocabuli fracti syllabam ultimam versui alteri addit, ille eodem vocabulo integro priorem claudit. Vv. 192 sq. W. cum H. separat, S. jungit. Vs. 198 βάσει β. ἅ. W. cum antecedente copulat, S. interposita ejulatione Oedipi primum facit eorum, quos Antigona dicit ante γεραόν etc. Vv. 209, 10 et 11 numeros H. recepi, εἰμι, quod addunt W. et S., expressi. V. 238. Illud H. ἀλαὸν post γεραὸν tenui. V. 253. Verba ὅστις ἂν εἰ θεὸς apud H. versiculum per se efficiunt, apud S. εἰ θεὸς ἄγοι item; haec Wunderus attribuit sequenti, huic D. nonnisi ἄγειν adjicit.

(In Adnotationibus quotiescumque Hermannum, Döderleinium, Reisigium, Wunderum et Schneidewinum memoro, eorum nomina prima cujusque littera designo.)

ARGUMENTUM.

Vv. 255—511.

Oedipus ubi asylo relicto fretus fide incolarum et ope se restitui videt nonnisi enunciato nomine suo, perfidiam iis exprobrat, suam probans innocentiam et inopiam, fidemque ad Thesei usque adventum sibi deposcens salva Dearum reverentia. Thesei exspectatione suspensis accedit v. 325.

Ismene, nuncians ab Eteocle fratre minore majorem natu Polynicem regno pulsum, ab Adrasto Argivorum principe, Argia filia in matrimonium ducta, opibus auctum ad Thebas expugnandas expeditionem suscepisse. Hinc Thebanos perturbatos oraculum Delphicum accepisse, suae salutis spem in solo Oedipo sive vivo sive mortuo esse positam. Ideo Creontem brevi affore. Oedipus filios, ubi oraculum sprevisse audit, exsecratus, Coloni incolis, si fidem datam servent, salutem se ferre profitetur. Votum ejus accepturus est chorus (v. 468.) si loco expiato Eumenides placaverit. Piacularis autem sacrificii hanc esse rationem ineundam dicit, ut ille e perenni fonte latices sacros hauriat urceis, posteaquam eorum ansas et margines tenella agni recens nati lana coronaverit, aquam haustam non vino, sed melle tantum temperet, in solis autem ortum conversus tria haustae aquae libamina ferat, ultimumque haustum integrum effundat, deinde in solo aqua sacra tincto ter novena olivarum germina plantet et solenni precatione (*τὰς σεμνὰς*) deas venerabiles invocet, ut se propitiae excipiant. Quod sacrum ex praecepto chori et de patris sententia Ismene factura abit (v. 510.). Post cujus discessum chorus ita canit, miscens cum Oedipo diverbia eaque pro more suo strophis complectens (v. 511 — 556.).

CANTICUM II.

Stropha 1.

Chorus 1. Dirum, mente sepultum diu et
Triste malum, hospes, renovari;
Tamen volo sciscitari.
Oedipus. Quod illud?
515 *Chorus* 2. Infandi quem perpeteris doloris
Nec tempore leniendi.
Oedipus. Salvo hospitio graves ne
Reclude meos dolores.
Chorus 3. Ego cupio noscere veram
520 Rem saepe multumque relatam, amici,
Oedipus. Eheu!
Chorus 4. Dic mihi roganti.
Oedipus. Hei, hei!
Chorus 5. Grateris: nam tibi quod cupis grator.

Antistropha 1.

525 *Oedipus.* Imprudens mala tuli, sodales,
Maxima, — testis deus esto! —

Nil sponte mea subivi.
Chorus 6. Cur, quaeso?
Oedipus. Malo toro me nihil augurantem
530 Urbs implicuit piaclo.
Chorus 7. Num matris, ut audio, tu
Torum male faustum inisti?
Oedipus. Haec auribus audire mihi mors,
Hospes; natae geminae meae sunt.
535 *Chorus* 8. Ecquid?
Oedipus. Hei, gemina damna!
Chorus 9. Eheu!
Oedipus. Communis ventre satae parentis sunt.

Stropha 2.

Chorus. Hae suntne, cedo, generis tui?
540 *Oedipus.* Ac sunt sorores patris sui.
Chorus 10. Io!
Oedipus. Io! vel mille sunt
Vices malorum pessimae.
Chorus 11. Pateris?
Oedipus. Gravia fero mala.
Chorus 12. Es auctor?
Oedipus. haud ego auctor —
Chorus 12. Ecquid?
Oedipus. Ego abstuli,
545 Quod bene cordatus debebam
Ab urbe numquam munus asportare.

Antistropha 2.

Chorus 13. Quid tu, miser! reus es necis?
Oedipus. Quid noscere cupis et necem?
Chorus 13. Patris?
Oedipus. Papae, novum novo
550 Infers mihi malum malo.
Chorus 14. Necem?
Oedipus. Necavi, nex tamen
Chorus 14. Quid illa?
Oedipus. jure facta
Chorus. quid?

Oedipus. Dicam statim,
Ut nunc apertum est, ego necavi et perdidi,
Sed lege purus, inscius in hoc incidi.

---

555 *Chorus.* En, rex propinquat ipse, natus Aegei,
Theseus, vocatus voce supplici tua.

Vss. 511 et 12. Hos duos versus S. conjungit, duos praestant H. R. W. D. Vs. 515. τᾶςδ' ante ἀπόρου auctore H. servavi. Vss. 525 et 26. S., secludens alterum ἤνεγκον et μέν, conjungit. — Vs. 529. μ' ἐν H., sequor, ante εὐνᾷ — Vs. 549. H. verba παπαί, δευτέραν, quae apud ceteros cum versu sq. cohaerent, cum priore versiculo nectit.

ARGUMENTUM.

Vv. 552—673.

Theseus Oedipum hospitio excipit, et, quid velit, interrogat. Hic nihil nisi sepulcrum in Colono sibi flagitat, magno Dei praemio post ipsius mortem proposito. Quo facto Theseus hospes hospiti fidem et patrocinium pollicetur ac dubitantem de auxilio melius sibi suaeque potestati confidere jubet. Quo audito chorus carmen de Coloni laudibus interponit (a V. 674—723.).

CANTICUM III.

Stropha 1.

Venisti, hospes, equarii
675 Agri haec in loca principalia orbis,
Clarum dico Colonum, ubi
Mobili philomela dans
Melos gutture vallibus
Ornatis hedera alta
680 Daphnen dividit ac Dei
Cunctis impenetrabile,
Sole carens; nemus, ubere praepotens,
Obnoxium procellis
Non ullis, ubi Bacchicus
685 Ambulat Dionysus, usque divi-
nis nutricibus obsecundans.

Antistropha 1.

Caeli rore vigens hiat
Uvas quoque ferens die tumentes

Narcissus, Cereris vetus
690 Atque Persephones decus,
Et flavus crocus et vagi
Cephissi vigilesque
Numquam deficientes
Fontes, sed fluit in diem
695 Fluctibus usque rigans salientibus
Et imbre matris almae
Telluris sata, nec novem hac
Virgines dubitant sedere sede
Aut auro renitens Dione.

Stropha 2.

700 Est, qualis nec, ut ajunt, Asiae contigit usquam,
Nec magna viret in Doride Ne-
so Pelopis planta nec ulli
Plantata mortalium, sed ultro
Terror hostium ingruentium,
705 Quae maxime ista vigescit ora,
Ornandis pueris commoda oliva.
Hanc nullus aut juvenum aut senecta
Pollens funditus ejiciet
Vi; namque Jovis Morii vigil
710 Orbis luminis inspicit
Atque Pallas Athene.

Antistropha 2.

Restat maxima laus metropoli debita nostrae,
Magnum numinis insigne benigni
Et decus hujus regionis
715 Equestre, pullarium, marinum.
Saturnie, hoc enim decus,
Neptune, praecelse rex, huic dedisti,
Frenum, quo moderarere caballos
Primis in istis viis, parasti.
720 Remi planta mari mire agilis
Multa pulsa manu volans
Saltat centipedum choro.
Nympharum saliente.

Vs. 688. *αἰεὶ* H. R. D. *ἀεὶ* W. et S. — 693. *Κηφισσοῦ* H. D. *Κηφισοῦ* R. W. et S. — Vs. 798 sq. *οὐδὲ — μὰν χρ.* H. *οὐδὲ — θεὰ χρυσ.* R. ineunte versu ante *χρυσ.* D. pyrrhichium cxcidisse punctis significat. — *οὐδ' ἃ — χρ.* W. — *οὐδ' αὖ* S. — Vss. 701 et 702. separatos H. D. W. fracto vocabulo *νήσῳ* R. integro *νάσῳ* priori adjecto edunt, junctos S. Vss. 708 et 9. S., jungit. ceteri sejungunt, R. solus *πέρσας* integro in fine vs. 708. ceteri in utrumque versum diviso. — Vs. 713 sq. S. jungit. Vs. 720 sq. idem conjungit.

ARGUMENTUM.

Vv. 724—836.

Oedipus et Antigona adveniente Creonte chori fidem et opem implorant. Creon primo se Creontis miseriam levatum venisse choro simulat, et Creontem leni oratione invitat, ut secum redeat. Oedipus bene recordans, se olim Thebis abire cupientem a Creonte vi retentum, postea abire nolentem ab eodem pulsum esse, et ne nunc quidem domum reductum, sed foris detentum iri per caussam juvandae patriae. At se quum ceteris, tum Creonti et filiis ultorem fore. Jam in altercatione Creon minitans fatetur se jam rapuisse Ismenen ac brevi etiam Antigonam esse rapturum. Choro expostulanti respondet illas, quas, suas sibi vindicet, jure esse raptas, se vero Oedipum non rapturum esse, qui sit in fide Thesei. Tum chorus cives omnes undique auxilio vocat (837—900).

CANTICUM IV.

Stropha.

Antigona. Io, Io!
Chorus. Quid, hospes, paras? nisi miseris,
Statim adigam manu.
840 *Creon.* Cedas —
Chorus. non tibi, quia paras scelus.
Creon. Bellum parabis, si mihi vim feceris.
Oedipus. Non ista dixi jam tibi.
Chorus. o tu virginem
Statim mihi da.
Creon. ne jube, ni potes.
Chorus. Statim remitte.
Creon. te jubeo discedere.
845 *Chorus.* Adeste, huc adeste, cives boni,
Patria nostra vi petitur a viris?
Adeste huc mihi.

Antigona. Trahor, trahor vae! hospites, vae! hospites.
Oedipus Quo, nata, vadis?
Antigona. ire vi coacta eo.
850 *Oedipus.* Da, nata, dextram.
Antigona. Ne volens quidem queo.
Creon. Vos non agetis?
Oedipus. hei mihi! quam sum miser!
Creon. Ergo duobus ductus his fulcris tuis
Tandem redibis; quod tamen vis vincere
Et patriam tuosque cives, a quibus
855 Haec facio jussus, qui tyrannus impero.
Jam vince; tandem, quod scio, tu videris,
Nunc temet ipsum consulere parum tibi,
Nec ante paruisse consulentibus,
Iram sequentem, quae tibi non profuit.
860 *Chorus.* Hic tu maneto!
Creon. meque noli tangere.
Chorus. Privatus istis hinc ego non mitto te.
Creon. Tu, credo, majus pignus injunges tuae.
Urbi; nec istas tangam ego solas duas.
Chorus. Quid mente versas?
Creon. Captum ego ducam senem.
865 *Chorus.* Horrenda dicis.
Creon. haec statim perfecero.
Oedipus. Quam tu protervo me petis dicto tuo?
Creon. Te jubeo facere —
Oedipus. ne Deae me fecerint
Mutum tacere vota, quae servo tibi,
870 Qui me carentem jam gemello lumine
Privas ocello postimo, turpissime.
Hinc temetipsum gente cum tua, Deûm
Qui cernit unus cuncta, Phoebus fecerit
Vitam meae non disparem senescere.
875 *Creon.* Videtis ista, ruris hujus incolae!
Oedipus. Nostrum vident utrumque, sentiunt probe,
Me voce tantum vim tuam defendere.
Creon. Irae meae non tempero, sed vi traham
Te solus unus et senecta tardior.

Antistropha.

880 *Oedipus.* Hei, hei mihi!
Chorus. Senex, quam protervus es, si paras
Facere talia!
Creon. Volo.
Chorus. Civitas igitur haec erit?
Creon. Parvusque vero jure magnum perdomat.
885 *Oedipus.* Auditis ista, quae sonat?
Chorus. non perficit,
Si noverit Dis.
Creon. noverit, tu non item.
Chorus. Non iste fastus?
Creon. fastus, at ferendus est.
Chorus. Io tota gens, io principes!
Celeriter venite, quoniam viri
890 Modum non tenent.
Theseus. Ecquis iste clamor? ecquid est rei? vel quo metu
Immolantem me bovem sacrum impeditis pontico
Deo,
Praesidi Coloneorum, dicite, ut rem noverim,
Cur ego properaverim istuc paullulo velocius.
895 *Oedipus.* O care, vocem namque cognovi tuam,
Horrenda mihi vir iste cumulavit mala.
Theseus. Quae dicis? ac quis est malorum auctor tibi?
Oedipus. Hic est Creon, quem conspicis, parans mihi
Hinc par tenellum filiarum abducere.
900 *Theseus.* Quid dicis?
Oedipus. audis, cuncta quae jam facta sint.

Vss. 837—900. *Ἰώ, πόλις.* — *ἀκήκοας.* Vss. 838 et 39. A ceteris separatos S. jungit. Vss. 881. sq. S. solus jungit.

ARGUMENTUM.

Vv. 900—1047.

Theseus advolat; ubi, quid factum sit, comperit, mittit, qui copias praesto esse jubeat, Creontem increpat Oedipi reposcens filias minaturque, se non prius ipsum esse dimissurum, quam si illas reddiderit, injustitiam ipsi et violentiam exprobrans, confirmans se, si Thebis esset aut in alia exterorum civitate, ultima hominis miseri subsidia ab-

ducturum non esse, nedum invito aut inscio terrae rege. Excusandi sui caussa Creon se credidisse negat, Athenienses affinium suorum curam suscepturos esse aut velle improbum hominem, parricidam et incestum matris conjugem fovere, aut ab Areopago admissum iri. Se injuriam ab Oedipo acceptam et contumeliam ultum venisse. Nunc se in potestate esse Thesei. Quocirca Oedipus sese purgat, qui ignarus natalium suorum Lajum patrem in itinere occiderit, hominem sibi incognitum, cujus vim vi repelleret et Jocastam regis incertum a quo interfecti viduam, quam matrem suam esse nesciret, advena peregrinus, a gratis Thebanis praemii loco oblatam in matrimonium duxerit, impudentiam fratri in sororem et saevitiam in se filiasque suas objiciens. His auditis Theseus celeriter facto opus esse intelligens Creontem jubet secum abire repetitum Oedipi filias. Expeditionis exitum exspectans chorus canit canticum (v. 1048—1100).

CANTICUM V.

Chorus 1048 sqq. ed. H.

Stropha 1.

Vellem simul esse, ubi
Mox impetus hostium
1050 Marte aerisono manus
Miscebit aut ad Pythias
Aut lampadas oras,
Dum dirigunt sacra deae mysteria
Mortalibus, quorum oribus
1055 Aurea est imposta clavis
Mysticorum Eumolpidûm;
In montibus hic puto belligerum
Theseum, et ambas virgines
Virtute sorores
1060 Mox clamore magno congredi
Finibus istis.

Antistropha 1.

An forte sub hesperum
Montem niveum petunt
Oeatide de tribu
1065 Promptis equis aut essedis
Raptim fugientes?
Domabitur: fortis enim est Mars civium

Fortisque Thesidûm manus,
Fulgurant omnes habenae,
1070 Omnis incessu micans
Torques tremefacit equorum
Impetus, omnes Palladem
Sectantur Equestrem
Et, qui continet terram mari,
1075 Rhea generatum.

Stropha 2.

Cunctantur an pugnant?
Nam mihi praecinit
Mens, restituturos
Mox dira passam, dira nactam
1080 Tot per affines mala.
Facit die Divus id isto;
Sum bonus certaminum auspex.
O procellis rapta si velox palumbes
Nubibus aethereis
1085 Certamina intuerer
Meo sublimis ore toto!

Antistropha 2.

Io, Rex summe Deûm,
Cuncta spectans duis
Regnatoribus nostris,
1090 Uti manu victrice captum
Exsequantur subdolum.
Ac sancta, te, Pallas Athene,
Phoebe, te, venator atque
Te, soror, cervorum sequenti caterva
1095 Praepete disparium
Posco venire terrae
Opemque his civibus ferentes.
Hospes vagans, tu nemini jam dixeris
Me falsa fari; namque cerno virgines
1100 Rursus venire cum choro satellitum.

Vss. 1048—1100. *Εἴην, ὅθι — προςπολουμένας.* Vss. 1055 et 56. disjunctos ab H. R. D. jungunt W. et S. — Vss. 1058 et 59. H. D. R. W. se-

parant, jungit S. ἀδελφάς D. et S. ἀδελφεάς cett. — Vss. 1063. περῶσ' S. πελῶσ' cett. — Vs. 1064. εἰς νομόν S. ἐκ νομοῦ cett. — Vs. 1070. ὁρμᾶται χαλῶσ' S. ὁρμᾶται κατά W. ὁρμᾶται κατ' ἀμ— cett. — Vs. 1071. ἀμπυκτήρια W. S. diviso vocabulo dant πυκτήρια cett. — Vss. 1073 et 74. H. R. D. W. jungit S. — Vs. 1076. μέλλουσιν ὡς D. S. μέλλουσιν R. μέλλουσ' H. W. (Vs. sq. ὡς R. H. W.) — Vs. 1079 et 80. jungit W. S. Vs. 1079. R. pleno vocabulo εὑροῦσαν finit. εὑροῦ—σαν in duos versus dividunt H. D. — Vss. 1084 sq. H. D. R. jungunt S. W. — Vss. 1090 sq. jungunt W. S. versum priorem R. finit integro vocabulo εὔαγρον, cujus syllabam ultimam versui sq. adjiciunt H. D. — Vss. 1095 sq. jungunt W. S. disjunctos tuentur H. D. R.

ARGUMENTUM.

Vv. 1101—1212.

Theseus cum Oedipi filiabus redux factus a patre beato salutatur. Tum huic ille sedere ad Neptuni aram hominem nunciat, qui se Oedipi propinquum Argis venisse professus cum ipso colloqui velit. Polynicem hunc esse Oedipus statim intelligit, sed sui conveniendi potestatem huic dare primo recusat, mox autem Theseo et Antigona deprecantibus concedit. Quo facto chorus hanc cantilenam interponit (v. 1213—1249).

CANTICUM VI.

Stropha.

Chorus. Quisquis vivere longius
Gestit, sed brevius fugit
1215 Aevum, stultitiam sapit,
Ut mihi non dubium videtur.
Suis saepe dies malis,
Proh dolor! propioribus
Vitam praepediunt senis.
1220 Non suavia videris,
Superfluentibus bonis.
Sed ministeria ministrat
Paria Diti, ubi Lachesis atrox
Sine choro muliere fidibus
1225 Propera venit, —
Citima finiens Mors.

Antistropha.

Non nasci juvat omnium

Plurimum, huic puto proximum,
Si compareat ille, qua
1230 Venerit, hac propere reverti.
Nam donec juvenis viget,
Plenus stultitiae levis,
Quisnam linquit eum labor?
Quis cessat cruciatuum,
1235 Necesque praelia atque lis,
Invidia maleque dicta?
Subiit ultima tacita, sine
Familia, senecta fragilis,
Ubi sequuntur
1240 Mala gregem malorum.

Epodus.

Ita infelix hic, — haud ego modo, —
Undique, ora ceu borea saepe,
Praecipiti concutitur procella.
Sic hunc usque superne
1245 Noxae quatiunt superimminentes,
Nunc qua sol oritur,
Nunc qua nocte cadit,
Aut ubi medio stat
Caelo aut a Threicio Aquilone.

Vs. 1222. vox ultima *ἐπίκουρος* H. R. *ἔπι κόρος* D. W. *ἐπίκουρος* S. sed versum claudens vocabulo versus sq. *ἰσοτέλεστος*. — *ἰσοτέλεστος* vox sola versum explet ap. W. — Vs. 1223. *Ἴσοτ. Ἄ. ὅ. Μοῖρ* H. D. R. sed *Ἄ. ὅ. Μοῖρ' ἀνυμέναιος* W. S. — Vs. 1224. *ἀνυμ. ἄλ. ἄχορος*. H. D. *ἀνυμέναιος* haec vox una versum per se efficit ap. R. — *ἄλ. ἄχ. ἀναπέφηνε* W. R. S. — Vs. 1225. *ἀναπέφηνε* versum explet ap. H. et D. — Vs. 1236. claudit *κατάμεμπτον* H. D. R. W. huic addit S. *ἐπιλέλογχε*, quo verbo uno W. versum explet. — Vs. 1237. *ἐπιλ. πυμ. ἀκρατές* H. D. R. sed *πυμ. ἀκρ. ἀπροσόμιλον* W. S. *ἀπροσόμιλον* voce una versum explet R. — Vs. 1238. *ἀπροσόμ. γῆρ. ἄφ.* H. D. — *γῆρας ἄφ.*, *ἵνα πρόπαντα* R. W. S. — Versum 1239. *ἵνα πρόπαντα* verbis solis continent H. D. — Vs. 1248. *δυσμᾶν, αἳ δ' ἀνατέλ*— H. D. fracto vocabulo ultimo versum conficiunt; *δυσμᾶν* cum priore v. jungunt R. W. S., qui vs. sq. claudunt pleno vocabulo *ἀνατέλλοντος*. — Vs. 1249. *λοντος, αἳ δ' ἀνὰ μέσσαν* H. sic etiam D. nisi quod postremi vocabuli fracti syllabam ultimam — *σαν* sequenti versui attribuit. — *αἳ δ' ἀνὰ μέσσαν ἀκτῖν'* — R. W. S. — Vs. 1250. *αἳ δ' ἐ. ἁ. Ῥιπᾶν* cett.

ARGUMENTUM.

Vv. 1250—1449.

Polynices patris aspectu perculsus de tristi ejus sorte queritur, magnam ejus partem sibi vitio vertit, culpaeque veniam precatur. Patre tacente sorores rogat, ut pro se deprecentur. Antigonae suasu ipse patris animum oratione flectere conatur, ut sibi culpam remittat, et, quo felicius cum Eteocle fratre minore de imperio depugnet, consensu suo expeditionem ducum VII adversus Thebas fortunet, i. e. Amphiarai, Tydei, Eteocli Argivi, Hippomedontis, Capanei, Parthenopaei et ipsius Polynicis, Adrasti generi (cf. v. 1315). Choro demum ad Theseum, cujus commendatione Polynices venerit, provocante, Oedipus respondet filio, pessima quaeque ipsi sociis et fratri imprecatus et auguratus. Polynices igitur poenitentia et furiis actus abire festinat, propositum habens patris exsecrationem socios celare, et expeditionem pertinaciter persequi. Discedens vero sorores, quarum interlocutione ad consilium mutandum non permovetur, hoc unum rogat, ut in fide maneant, et, si cadat, justa sibi facere velint. Jam Diis fata portendentibus canticum canunt Oedipus Antigona et chorus (v. 1449—1495).

CANTICUM VII.

Stropha.

Chorus. Nova mihi noviter appetunt,
1450 Nova eaque gravia mala senis hospitis,
Ni quid accidit caelitus;
Nihilque dico, quod Dii decreverint,
Frustrabile.
Videt, videt tempus usque, vel iniqua alia,
1455 Vel alia ad diem levans altius.
Intonat aether, o Dîs!
Oedipus. O filiae, quid? obsecro, quis incola
Arcesset huc virtute mactum Theseum?
Antigona. Pater, quid est, quod advoces ad hoc virum?
1460 *Oedipus.* Hoc ducet hinc me fulmen alatum Jovis
Jam nunc in Orcum; jam cito, jam mittite.

Antistropha 1.

Tonitrua, tonitrua heus! crepant,
Manus hiat agitat, hiat agitat Jovis;
Summus horror obit comas.

1465 Pectus pavescit, athereaque fulgura
Micant nova.
Quis imminet terminus? paveo; non facile
Vibrantur sine usu et incommodo. —
Juppiter! o magne aether!
1470 *Oedipus.* O filiae, nunc instat aevi terminus
Vestro patri, nec proferetur amplius.
Antigona. Qui comperisti, quive fatum conjicis?
Oedipus. Probe scio; sed quam citissime mihi
Eat quis, huc ut Atticae Regem vocet.

Stropha 2.

1475 *Chorus.* Io tonitruum remugiens undique
Fragor iterat, iterat.
Propicius sis, Dive, mihi, si qua fers
Nubila, matris arva Terrae tegens.
Ut obvius ferar probo,
1480 Nec improbum virum videns
Carentem lucro auferam gratiam,
Te, Deus, imploro.
Oedipus. Num vir propinquat? mene viventem meae
Mentis potentem jam videbit, filiae?
1485 *Antigona.* Quid tu bona vis huic fide committere?
Oedipus. De me merenti jam referre gratiam,
Quam me spopondi redditurum supplicans.

Antistropha 2.

Chorus. Io, io, mi — huc veni
In supera loca cava
1490 Pelagio Posidaonio Deo
Ad bovicidium sacrandum veni.
Receptus hospitaliter
Referre gratiam cupit
Amicis, tibi, civibus.
1495 I, propera, mi Rex.

Vss. 1452 et 53. jungit S. W. disjunctos praestant H. R. D. — Vs. 1454. ἕτερα pleno vocabulo claudunt D. W. R. S. syllabam ejus fracti ultimam. H. refert ad v. sq. — Vss. 1465 sq. jungunt W. et S. — separant H. D. R. — Vs. 1467. ἅλιον R. D. W. S. ἅλι' H. versum in duos dividunt R. et D. Λ

δέδια alterum incipientes. — Vss. 1478 sq. jungunt W. et S. qui scribit *ἐναισίου δὲ σοῦ τύχοιμι* Ceteri *ἐν. δὲ συντύχοιμι.* H. D. et R. versum dividunt, priorem R. verbo *συντύχοιμι* finit, ultimam hujus verbi fracti syllabam in versum sq. transferunt H. et D. — Vs. 1488. *ἰὼ ἰὼ παῖ* (quinque punctis lacunam notat H.) *βᾶθι, βᾶθ'* H. et W. ad hunc versum sequentis v. verba *εἴτ' ἄκραν* addunt R. W. et S. (*ἄκρον* H. et W.) — Vs. 1400. post *θεῷ* addunt *τυγχάνεις* R. D. S. omittunt H. et W. — Vss. 1492 et 93. jungunt W. S. priorem integro vocabulo *πόλισμα* finit R. ejus fracti syllabam ultimam ad v. sq. transferunt H. et D.

ARGUMENTUM.

Vv. 1496—1552.

Rursus adest Theseus communi Oedipi et chori voce advocatus ab Oedipo docetur, Deorum monitu sibi jam instare mortem, adesse tempus, quo Theseum fortunae munere remuneretur. Se sibi nunc locum sepulturae divinitus significatum expetere, quem nemo umquam praeter regem et ejus successorem scire debeat, ipse vero, quamquam hactenus caecus Theseo, dux extremo vitae momento sit monstraturus. Theseo filiabusque comitibus iter in lucum praeit. Quod ut felix faustumque sit ad inferos, chorus precatur carmine (v. 1553 — 1574).

CANTICUM VIII.

Stropha.

Chorus. Si licitum est mihi, Tartarum Deum
Teque, Erebi potens Dis,
1555 Vel prece vel sacris venerari,
Dis, te, Dis, invoco.
Patere fatis neque male sacris
Neque flebilibus hospitem
In campos ferri inferûm
1560 Umbratilium et Stygiam domum;
Multis enim injuria
Obruto maeroribus
Tibi Deus rursus aequus esto.

Antistropha.

Tartareae Deae, corporis et vasti
1565 Bellua, quae cubare
Dicitur ad portas tornatas
Et gannire ex antris

Et, ubi vigilet apud Orcum,
Sine fine vigilare, ut haec
1570 Pura cedat via
Ad inferûm proficiscenti
Campos nigros hospiti,
Tartaro et Terra sata,
Rogo Te, Mors, usque dans quietem.

Vss. 1554 sq. ἄναξ vocabulo finiens jungit S. disjungunt cett. versum primo Ἀϊδωνεῦ claudentes, quod S. versui sq. addit. — Vs. 1556. αἰδοῦμαι R. W. λίσσομαι ceteri. — Vs. 1558. ξ. ἐκκατανύσαι μόρῳ H. — ξ. ἐξανύσαι μ. D. μόρῳ cum v. sq. nectunt ceteri. ξ. εὖ κατανύσαι R. ξ. κατανύσαι W. δίδου μοι ξ. ἐξανύσαι S. — Vss. 1561 sq. jungunt W. S. separant cett. — Vs. 1568. παρ' Ἀΐδᾳ in fine habent H. R. D. W. eadem verba ineunte vs. sq. — Vs. 1569. verbo ἔχει (ἀνέχει H. R.) finiunt W. S. R. verbo ἔχει (ἀνέχει H.) addunt in fine versus τὸν, ὦ H. D. — Vs. 1472 sq. jungunt W. S. separant ceteri.

ARGUMENTUM.

Vv. 1574—1665.

Nuncius Oedipum narrat in luco rursus divinis quibusdam nutibus infernique Jovis subterraneis motibus aliquoties monitum utrique filiae oratione paterna valedixisse, tandem novo et ingente portento vocatum dimisisse ceteros comites omnes praeter unum Theseum Regem, neque quemquam hoc solo excepto scire, quid ibi postremo acciderit, nisi mortuum esse Oedipum beatum, qui non diutino morbo contabuisset, nec fulmine ictus, nec aquae fluxu mersus esset, sed a legato divino deductus ad portarum infernalium limina. Superveniunt etiam filiae lamentantes jam procul auditae. Iisdem lamentis plena sunt deinceps Antigonae et Ismenes mixta chori versibus carmina, priusquam Theseus reversus Oedipum beatum praedicat ac filias lugere vetat. Hac jam Thebas abire festinant, ut, si queant, caedes fratrum mutuas prohibeant.

CANTICUM IX.

Chorus. Quo filiae, quo nunc amici sunt loco?
Nuncius. Hae non procul; quod arguunt suspiria,
1665 Voces et istuc nunc euntes nunciant.

Stropha 1.

Antigona. Eheu! — non licet gemamus
Hoc mage nunc, alio titulo minus

Mox flere nostri sanguinem parentis,
Unde orientia
1670 Nos mala plurima jam toleravimus,
Innumera in reliquum tolerabimus
Videntes et ferentes.
Chorus. Quid est?
Antigona. licet suspicemini, viri.
1675 *Chorus.* Abivit?
Antigona. Ut vel ipse maxime velis;
Neque senem Mars rapit,
Nec maris furentis aestus;
Gleba mersit in profundum,
1680 Ita tulit dubia sors in adytum,
Et hei mihi! maligna nox
Lumina oris occupavit.
Quomodo per exterûm terram
Aut per aestuans fretum parabimus
Labore commodum cibum?

Stropha 2.

1685 *Ismene.* Hei! latet me,
Modo rapuerit eadem
Ad inferos meque Mors senemque
Patrem; futura enim mihi
Non erit ulla vita.
1690 *Chorus.* O geminae bonae puellae,
Quod bene Divus instruit,
Ne nimis hoc gravemini,
Ni piget huc subisse.

Antistropha 1.

Antigona. Malorum quoque est voluptas.
1695 Namque, quod haud volupe est, volupe id fuit,
Ubi licuit patrem manu tenere,
Care mihi pater,
O subiens tenebrosa silentia,
Tu pariter mihi, ne dubites, eris
1700 Et semper huic amatus.

Chorus. Peregit?
Antigona. Peregit, ut cupiverat.
Chorus. Quid illud?
Antigona. Ut volebat, inter hospites
Obiit; infra torum
1705 Ambit umbra sempiterum,
Lacrimas suis reliquit.
Oculus iste meus, o bone pater,
Gemitque fletque; nec scio,
Quomodo meum dolorem
1710 Misera mente deleam. Te non
Inter hospites mori decebat; hinc
Relictus obieras mihi.

Antistropha 2.

Ismene. Quam dolenda!
Nova, mihi miserabili
1715 Manebit
Tibique sors, soror mea,
Orbis parente caro.
Chorus. Sed quia fausta finis aevum
Solüit, hospitae bene,
1720 Desinite a doloribus,
Mala sequuntur omnes.

Stropha 3.

Antigona. Retro, soror, feramur,
Ismene. Ac dic, cui bono?
Antigona. Jam feror amore —
Ismene. quo?
Antigona. Noscere feror domum inferûm.
1725 *Ismene.* Domum?
Antigona. boni domum patris.
Ismene. Id est nefas; quid? hoccine
Non vides?
Antigona. mihi quid id exprobras?
Ismene. Idque qui?

Antigona. Quid et iterum addis?
Ismene. Procul obiit pater inhumatus.
1730 *Antigona.* Soror, age huic me sacrificato!
Ismene. . . . . . .
Antigona. . . . . . .
Ismene. Hei, mihi! relicta rursus
Sola quo ferar sine duce?
Quaque sorte vivam?

Antistropha 3.

1735 *Chorus.* Bonae, nihil timete.
Antigona. quo vertam fugam?
Chorus. Sed fugit ante —
Antigona. quid?
Chorus. Vos fugit infortunium.
Antigona. Intelligo —
Chorus. Ergo quid est?
Antigona. Qui nos revertamur domum,
1740 Nescio.
Chorus. Ne forte quaere.
Antigona. Labor adest —
Chorus. atque fuit ante.
Antigona. Labor et erat et erit ultra
Chorus. Pelagus igitur agitat ingens —
Antigona. Nae, nos.
Chorus. Sic sentio ipse.
1745 Hei! quo nos eamus? o Dis,
Mihi num reducit aliquam
Genius adhuc meus spem?
Theseus. Ponite luctum mente, puellae;
Quibus est gratia comes Orci, non
1750 Lugendum; namque nefas est.
Antigona. O Aegides, veneramur te.
Theseus. Quid facto opus est, quaeso, puellae?
Antigona. Tumulum cupimus
Jam nostri patris ipsae cernere.
1755 *Theseus.* Licitum non est illuc vadere.

Antigona. Quid ais dominator Athenarum?
Theseus. Vetuit mortuus ipse, puellae,
Istum penetrare locum quemquam
Aut alloquio turbare suo,
1760 Quod habet mortuus ille, sepulcrum.
Quod si facerem, mihi promisit
Regionem carituram esse malis.
Haec audita refert genius mihi
Omniaque auscultans Jovis Horcus.
1765 *Antigona.* Haec ita si placuerunt illi,
Nobis rata sint. Thebas mittas
Ogygias nos, si possimus
Prohibere necem forte futuram
Geminis fratribus.
1770 *Theseus.* Faciam vobis haec, et, quicquid
Potero posthac, utile vobis
Ac defuncto, qui latet Orco,
Gratum faciam, nec cessabo.
Chorus. Age, finite querelas, neque jam
1775 Luctum tollite.
Haec rata prorsus erunt et stabunt.

Vs. 1670. *ὥτινι* (*ὥτινε* S.) *τὸν πολὺν* cum versu sq. copulat S. ceteri non item. — Vs. 1672. *παθούσα* H. D. R. W. *παθόντε* S. — Vs. 1677 sq. jungit S. solus. — Vs. 1679. *φερόμεναι* H. D. W. *φερόμενον* S. *'παγόμεναι* R. — Vs. 1682. *ἀπίαν γᾶν ἢ* verbis claudunt H. B. *γᾶν* versum finit W. D. *ἀπίαν* vocabulo terminat S. — Vss. 1685 sq. jungit S. finiens nomine *Ἀΐδας*, item D. W. R. *Ἀΐδας* autem versui sq. addunt. — Vss. 1688 sq. jungunt W. S. qui vocabulum *μέλλον* frangunt, R. hoc totum priori addit versui. — Vs. 1691. *τὸ φέρον ἐ. θ. καλῶς* H. *φέρειν χρή* D. et S. quod utrumque verbum ab H. omissum versui sq. addunt W. et R. — Vss. 1692 sq. jungit W. ceteri separant, *οὔτοι* in fine prioris ponentes; H. tamen *τοι* ad vs. sq. transfert. — Vss. 1697 sq. jungit S. ceteri separant. — Vss. 1704 sq. jungit S. ceteri separant. — Vss. 1510 sq. S. jungit, separant ceteri. In fine posterioris vs. *τῷ μὴ* H. *ἰὼ μὴ* R. *ἰὼ* W. qui *μὴ* in vs. sq. transfert, *τῷ* D. qui *μὴ* item ad vs. sq. reservat, *ἰὼ* S. in vs. sq. profert *μὴ* abjicit S. — Vs. 1713 sq. jungunt D. R. W. S. *πότμος* vocabulo finientes verbis *πότμος αὖθις ὧδ'* H. *ὦ τάλαινα* separat, vs. sq. ad *πότμος* addit *αὖθις ὧδ'*. — Vs. 1715. *ἔρημος* ..... H. [*αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος*] uncis includit D. [*ἔρημος, ἄπορος*] includit S. omnia plane omittit R. asteriscis positis W. — Vss. 1716 sq. jun-

gunt W. S. separant ceteri, *ἐπιμένει* tribuunt R. et D. ceteri *ἐπαμμένει*. — Vs. 1720 sq. junxit W., ceteri sejunxerunt, *κακῶν γὰρ* extremo versu priore scribunt R. D. S. *κακῶν* H. qui *γὰρ* ad vs. sq. reservat. — Vs. 1738. *ὑπερνοεῖς* R. D. W. S. *ὅπερ νοσεῖς* H. — Vs. 1741. *ἐπειρῶ* H. *ἐπεὶ* . . R. *ἐπεί τοι* — D. *ἐπεῖχε* W. *ἐπεῖχεν* S. ceterum h. l. aliis verbis pro arbitrio a R ad alias personas relatis. — Vs. 1743. *ἐλαχέτην τι* S. *ἐλάχετόν τι* ceteri. — Vs. 1761. *κακῶν* H. *καλῶς* ceteri.